

**De philosophis ante Hippocratem medicinae cultoribus ad Celsi De medic[ina] praefit[io]. Specimen I ... / ad disceptandum proponunt M. Carolus Gottlob Kühn Med. Bacc. et Christianus Gotthelf Fridericus Webel Med. Bacc.**

### **Contributors**

Kühn, Karl Gottlob, 1754-1840.  
Webel, Christian Gotthelf Friedrich, 1754-  
Universität Leipzig (1409-1953)

### **Publication/Creation**

Lipsiae : Ex Officina Sommeria, [1781]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hatw44kx>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

B XIX  
18/K

DE PHILOSOPHIS  
ANTE HIPPOCRATEM MEDICINAE  
CVLTORIBVS  
AD CELSI DE MEDIC. PRAEFAT.

21.638/P

---

SPECIMEN I.

---

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
A. D. II. IVN. CCCCCCLXXXI.  
H. L. Q. C.  
AD DISCEPTANDVM PROPOVNNT  
M. CAROLVS GOTTLLOB KÜHN  
MED. BACC.

ET  
CHRISTIANVS GOTTHELF FRIDERICVS WEBEL.  
MED. BACC.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA SOMMERIA.

DE HISTORIA  
CIVILIS  
CATALANORUM

ETATIUS DE MEDIOLANO



CHRISTIANUS GOTTFREDUS KAVNUS  
HABEAT LUX IN VITAE ET VERITATE.

CHRISTIANUS GOTTFREDUS KAVNUS

1800. 1800.

ALIAS  
ALIAS  
ALIAS

P A T R I   O P T I M O

S A C R V M

ОМІТЧО ІЯТА І

БАСІЛІЙ

DE  
PHILOSOPHIS ANTE HIPPOCRATEM  
MEDICINAE CULTORIBVS.

---

---

PROOEMIVM.

Cum antiquissimorum temporum memoriam animo nostro repetimus eo consilio, ut medicinae inuestigemus primordia, videamusque, quomodo, et a quibus hominibus inuenta, et sensim sensimque exulta tandem eo peruerterit, vt in artis formam redigeretur: idem nobis accidit, quod omni fere antiquae historiae indagatori. Quae enim ad incunabula artis salutaris ducit via, nunc fabularum quasi nebulis densaque interdum caligine premitur ita, vt vel acerrima ingenii acies, veritatis luce erepta, in tenebris palpitare cogatur; nunc deperditis antiquissimorum medicorum libris, aliorumque de illorum vita cognitioneque medica scriptorum narrationibus deficientibus, tanto desidit hiatu, vt magni ambages sint prius conficiendi, quam in viam rectam redire possimus; nunc variis, iisque inter se inuicem repugnantibus variorum scriptorum testimoniis intam diuersos diducitur tramites, vt dubii haereamus, quemnam sine aberrandi periculo ingredi debeamus. Praeter illa vero impedimenta, quae persequentis antiquissima medicinae fata studio obiiciuntur, videtur et haud leue positum esse in modo, quo nata atque exulta est medicina. Neminem enim inter homines nostrae aetatis vere eruditos fore existimo, qui in ea adhuc versetur opinione, vt hominibus primis a Deo viam ac rationem fuisse monstratam credat, qua sanitatem conseruarent, morborumque frangerent vim: nec potius persuasum sibi habeat, primis illis temporibus, quibus firmissima adhuc corporum robora nondum mollitie



luxuriaque erant fracta atque corrupta, illum fuisse medicum, qui herbarum fructuumque, in victum cedentium, vires expertas, aliaque in morbis nunc feliciter, nunc minus prospere adhibita diligenter notabat, suoque tempore in usus aut suos, aut aliorum expromebat. Hinc parentes cum natis communicasse videntur ea, quae per omnem vitam ipsi obseruauerant, aut ab aliis acceperant sanitati vel proficia, vel noxia. Ita vero augebantur sensim sensimque haec experimenta adeo, ut, cum non libris consignarentur, sed ore traderentur, vix unius hominis memoria possent comprehendi. Quae tamen memoriae felicitas si cui naturae beneficio contigerat, is, fortuna consiliis annuente suis, ab iis, quibus sanitatem reddiderat, colebatur, a ciuibus plausu et admiratione condecorabatur, et a posteris cultu honorabatur diuino. Hinc Apollini et Aesculapio apud Graecos, hinc Isidi atque Serapidi apud Aegyptios, hinc aliis apud alias gentes Deorum medicorum honores decernebantur, arae incensae, thura posita, templa exstructa, ad quae, quotquot cum morbis conflictabantur, sanitatis recuperandae causa vndeque confluebant.

Haec, quae sola experientia nititur, erat salutaris professionis facies atque conditio, usque dum maiore studio agitari, sapientiaeque pars haberi coepit. Scilicet reperta aduersus varios morbos remedia, quorum efficacitas saepe felicissimo euentu erat probata, interdum spem plane destituebant eius, qui illis utebatur, interdum efficiebant omnino contraria, morbumque, cuius leuandi et tollendi causa sumebantur, augere, mortemque, quam morari longiusque remouere debebant, accelerare videbantur. Qui quidem diuersi, nec opinati effectus non poterant non ferire animos eorum, qui in vires corporum inquirebant naturalium, quamque vim in corpus humanum exfererent, indagabant, eosque excitare ad causas istius discrepantiae rimandas. Philosophi igitur horum temporum, h. e. homines, qui tempus

studium-

studiumque suum naturae contemplationi quasi deuouebant, quique, contemta difficultate quidem illarum, inutilium tamen disputationum gloria, earum tantum rerum sibi comparabant cognitionem, vnde magna in ciues patriamque universam felicitas dimanare poterat, hi, igitur, in structura corporis humani consideranda, in sapientia, qua sapientissimus naturae auctor singulas illius partes formauerat atque composuerat, declaranda, in causis inueniendis, quibus illae corporis partes, quominus sua quaeque obirent munera, impeditarentur, in remedii denique indagandis, quibus illa impedimenta tolli, integritasque corpori restitui posset sua, amplum eumque vberem reperiebant campum, in quo ipsorum inuestigandi studium desudare commode poterat, incultum haetenus a medicinae professoribus relictum. Hanc vero notitiam augebant magis magisque itineribus etiam, ad remotissimas interdum gentes suscepitis, quae aliqua doctrinae fama apud exterros illustres erant: indeque reduces in patriam non poterant non eos cognitione varia eaque utilissima multum superare, qui sub Deorum medicorum, in primisque Aesculapii, auspiciis, quorum se cultui dicauerant, morbis remedia tantum, a maioribus per manus quasi tradita, opponebant.

Hinc factum est, vt, qui de primis, quibus, vti omnium omnino, ita et corporis humani partes conflatae sunt, elementis, de structura nostri corporis, de via ac ratione, muneribus fungendi suis, quam singulis eiusdem partibus naturae sapientia praescripsit, de impedimentis denique, quae illum naturae ordinem turbare possent, tanta cum animi fiducia disputabant, vt in intimos naturae recessus penetrasse viderentur, etiam omnium optimam remediorum notitiam habere existimarentur, quibus illae, in corpore humano excitatae, turbae iterum componi possent. Quae quidem causa, ob quam philosophi medicinae excolendae studium operamque dicaverint suam, probabilior videtur ea, quam CELSVS<sup>1)</sup> ingenio-

1) *de medicina, praef. p. 2. ed. Leon. Targae.*

niosam magis, quam veram, protulit. *Primo*, inquit, *medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio et naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit: scilicet iis banc maxime requirentibus*, qui corporum suorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant. *Ideoque multos e sapientiae professoribus peritos eius fuisse accepimus: clarissimos vero ex iis PYTHAGORAM, et EMPEDOCLEM, et DEMOCRITVM.*

Et horum quidem trium virorum, cum non nullis aliis, sapientiae laude per omnem antiquitatem claris, in artem nostram merita iam nunc, cum aliquod argumentum tractandum, publiceque defendendum esset, accuratius exponere constitui propterea, quod partim illud argumentum, coniunctum cum illo, quod amplexus sum, medicinae studio, nec alienum a loco videbatur, de quo disputandum est: partim quod ab omnibus, qui de fatis salutaris professionis scripsere, non ea, qua dignum est, diligentia elaboratum inveni<sup>2)</sup>). Quo accedebat et illud, quod hoc veluti specimine, praerepto futuro de *medicinae inter Graecos fatis operi*, virorum eruditorum iudicia experiri cupiebam.

#### PYTHAGORAS SAMIVS.

De parentibus, patria, aetatis termino<sup>3)</sup>, variis itineribus, aliisque rebus, quae ad vitam priuatam huius philosophi

<sup>2)</sup> Consulat Clerici atque Schulzii, quibus inter scriptores historiae medicae fere principatus tribuitur, medicinae historias, Hallerique bibliothecas, quae, pace tanti viri dixerim! non ea, quam tuto ubique sequi poteras, diligentia conscriptae sunt: et videbit aequus iudex, me haud temere illorum scriptorum in hoc arguento negligientiam damnare. Quam equidem an effugerim, iudicent alii. Facilius enim res reprehendi, quam emendari potest.

<sup>3)</sup> Videatur, si lubet maximorum hac de re virorum dissidia cognoscere, DODWELLVS de aetate Pythagorae philosophi Lond. 1704. A chronological Account etc. By M. Lloyd. Lond. 1699. & R. BENTLEII diff de Phalaridis, Themistoclis etc. epistolis etc. omnia ex anglico in latin. sermon. conuertit Jo. Dan. a Lennep. Groning. 1777. 4. 10. HARDVINI chronol. vet testam. Quorum argumenta, quibus quisque sententiam firmare studuit suam, exhibuit LE CLERC. biblioth. belg. Tom. X. p.

sophi pertinent, nec aliquid ad eius cognitionem medicam declarandam faciunt, praestat nihil, quam aliquid dicere. Sunt enim haec pleraque omnia et antiquiorum scriptorum testimoniis, et opinionibus recentiorum ita perturbata, ut, si ea accurate excutere vellem, immenso me temere immittem dūbiarum et dissensionis inter viros doctos plenissimorum quaestionum velut gurgiti. Quam ob rem ea tantum e veterum scriptorum monumentis decerpam, quae Pythagoram ostendant cum sapientiae professione et medicinae studium coniunxisse, dignumque adeo esse, qui inter medicos philosophos, quos ἴσοθέες Hippocrates pronuntiabat, locum occupet suum. Nolo haec probatum confugere ad itinera, a Samio philosopho ad Aegyptios, Persas, Indosque<sup>4)</sup> suscepta. Cum enim doctrinae fama, qua harum gentium sapientes quondam celebrabantur, ab hominibus recentioris aetatis, qui in illam tantopere laudatam sapientiam paulo curiosius inquisiuerent, admodum sit imminuta: infirmo utique fundamento superstruerem ea, quae collata *Pythagorae* in medicinam merita declarare possunt. Vtar igitur potius luculentis *Celsi*<sup>5)</sup>, *Diogenis Laërtii*<sup>6)</sup>, *Iamblichii*<sup>7)</sup>, *Porphyrii*<sup>8)</sup> aliorumque testimoniis, quibus Pythagoram constat in corporis humani structuram inquisiuisse, sibique comparasse cognitio-

79—125. His denique addantur duae dissertationes, nos<sup>II</sup> (de la Nauze) altera, altera *FRERETI*, in *Mém. de Litterat. tirés des Régist. de l' acad. roy. des inscript.* 10. XIV. p. 375. ss. et 472. ss. in germanicam translatae lingua<sup>m</sup> a Mich. Hismanno V. Cl. Vid. *Magazin für die Philosoph. und ihre Gesch.* Th. II. p. 75—132.

4) *Conf. Isocrat. laud. Busirid.* p. m. 448. *Ciceron de finib.* 5. 27. *Iustin.* XX. 4. *Iamblich. vit. Pythag.* c. 4. — *De itinere Pythagorae ad Persarum*

Magos vid. praeter Ciceron. et Iustin. II. cc. *Diogen. Laërt.* 8. 3. p. 489. ed. Meibom. aliisque. — Indiae denique Brachmanas ab eodem fuisse conuentos, narrant Apulei. *florid.* p. 351. ed. Elmenh. Clemens Alex. *strom.* V. p. 560. etc.

5) l. c.

6) *libr. VIII. c. 1. n. 12. οὐ καὶ ληγός δὲ οὐδὲ ιατρικῆς Πυθαγόρας.*

7) *de vit. Pythag.* c. 29. p. 127. ed. Commel. 1598.

8) *de vit. Pythag.* 33.



gnitionem remediorum, quibus firma et integra adhuc sanitas conseruari, fractaque et vitiata reparari posset.

Cum illae medicinae partes, quae vietu et manu mendentur, haud dubie sint antiquissimae: ab his ordinar, ostendamque, quaenam in Pythagora fuerit earum intelligentia. Et illa vero medicina, quae vietu curat, in primis videtur ab illo esse culta. Plinius enim multa nobis exempla reliquit literis consignata, quibus illum vti in vires herbarum, ita in vniuersam earum naturam curiosius inquisiuisse adparet: e quibus liceat quaedam speciminis loco quasi delibare. Sic brassicam laudauit <sup>9)</sup>: anisum aduersus scorpiones, e vino haustum, inter pauca medicamenta commendauit <sup>10)</sup>: idemque in manu habentibus efficacem medicinam aduersus comitiale vitium praebere tradidit <sup>11)</sup>: sinapi, quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret, principatum detulit ex his, quorum sublime feratur vis <sup>12)</sup>: atriplex, tanquam faceret hydropicos, morbosque regios et pallorem, concoquereturque difficultime, ac ne in hortis quidem iuxta id quidquam crescere, nisi languidum, culpauit. <sup>13)</sup>. Sic rutae sylvestris, quam oculis noxiā esse existimabat, genera discreuit, marem minoribus, herbaceique coloris, feminam laetioribus foliis et colore. <sup>14)</sup>. Sic asphodeli caulem cubitalem, et saepe duorum cubitorum, foliis porri sylvestris, *antbericon*; radicem vero i. e. bulbum *asphodelon* vocavere, principem Pythagoram secuti, Theophrastus, et fere Graeci. <sup>15)</sup> Praeter haec vero sunt et haud pauca, quae magicas herbarum vires, a Pythagora et Democrito primis Romano in orbe celebratas, Magos consecratis <sup>16)</sup>, illi curae cordique fuisse declarant: scillam v. c. in limine ianuae suspensam malorum medicamentorum introitum pellere ): aqui-

9) *hist. natur.* XX. c. 9. p. 199. ed. Harduin.

10) *ibid.* c. 17. p. 216.

11) *ibidem.*

12) *l. e.* c. 22. p. 223.

13) *l. l.* c. 20. p. 221.

14) *ibid.* c. 13. p. 208.

15) *libr.* XXI. c. 17. p. 252.

16) *libr.* XXIV. c. 17. p. 351.

17) *libr.* XX. c. 9. p. 203.

aquifoliae flore \*), uti et coracesia et callicia, quarum mentionem apud alios non reperit, nec apud Pythagoram alia de his, Plinius <sup>18</sup>), aquam glaciari: proxin herbam esse, cuius radix e longinquo concipiat ignes <sup>19</sup>) eademque florente, si qui morbi humano corpori acciderint, quamuis sanatos, admonitionem eorum sentire, quoties eam florere contigerit. Similem conditionem habere et frumentum, et cicutam, et violam <sup>20</sup>).

Idem virtutum, quae in herbis latent, scrutinium, diaetaeque culturam professa est illa, quae a Pythagora nomen accepit, philosophorum familia, quae, commota haud dubie praceptoris auctoritate, praecipuam posuit diligentiam in victus ratione ordinanda, in motus quietisque finibus regundis, in animi commotionibus temperandis, aliisque eiusmodi consiliis dandis, quibus sanitati firmitas conciliari, morbisque quasi nutrimenta eripi possent<sup>21</sup>). Nec dissimilibus fortasse rationibus inductus Pythagoras fabas<sup>22</sup>,

<sup>\*)</sup> *libr. XXIV. c. 13. p. 345.*

18) *l. l. c.* 17. *p.* 351.

19) l. c.

20) ibidein.

21) Iamblich. l. c. τῆς δὲ ιατρικῆς  
μάλιστα μὲν ἀποδέχεσθαι τὸ διαιτη-  
τικὸν εἶδος, καὶ ἐνιαυ ἀκριβεστάτες· ἐν  
τέτω, καὶ πειρᾶσθαι πρῶτον μὲν ια-  
ταμανθάνειν σημεῖα συμμετρίας, πό-  
νων τε καὶ σιτῶν καὶ αναπαυσεώς.  
ἔπειτα περὶ αὐτῆς τῆς ιατρικεύης  
τῶν προσΦερομένων (ita leg.) σχεδὸν  
πρώτες ἐπιχειρήσαι τε καὶ πραγμα-  
τεύεσθαι, καὶ διορίζειν sc. Πυθαγο-  
ρείς Φισί. Diogen. Laërt. VIII. 9.  
p. m. 494. πλησμονὴν πᾶσαν ἀποδοκι-  
μάζει. λέγων μὴ παραβάνειν μῆτε  
τῶν ΠΙΩΝΩΝ, μῆτε τῶν σιτίων μη-  
δένα τὴν συμμετρίαν. In quo loco e  
Iamblich. l. c. patet, non opus esse  
emendatione II. Casauboni ΠΟΤΩΝ

legi iubentis, quamuis defensa et ab Aeg. Menagio, locoque simili confirmata, (cf. *aur. carm.* v. 32. *ff.*)

Ἐδίδοντο τοῖς περισσοτέροις τοῖς οὐκ εἰπόμενοις  
αὐτοῖς ποτοῖς τε μέτρον, καὶ σί-  
τα, ημέραι γυμνασίων τε  
ποιεῖσθαι. —

22) Diog. Laërt. VIII. 34. p. m 515.  
laudat Aristotelem, περι κυανων, qui  
hoc Pythagorae praeceptum de absti-  
nendo a fabarum esu commemoraue-  
rit: quicum consentit Cicero de diuin.  
I. 30. Lucian. in *vitar. auction.* to. I. p.  
545. ed. Reitz. Pythagoram vero fabas  
discipulis interdixisse, quod flatulen-  
tiam efficerent, hincque meditationi  
obessent, cum Cicerone I. c. Diog.  
Laërt. VIII. 24. p. 502. et Iamblich. de  
vit. Pythag. c. 24. p. m. 107. adfir-  
mant. Cf. praeter illos Balib. Huide-  
koperus

pisces<sup>23)</sup>, idque genus alia victui discipulorum eximebat: quamquam sunt, et fuerunt iam inter antiquiores scriptores nonnulli, qui malint, philosophum, cum ista quasi proscriberet, nescio quid religionis, aut superstitionis potius spectasse. Evidem vero etsi non sum is, qui, quicquid a magnis, quos antiqua protulit aetas, viris excogitatum defensumque est, velut e tripode dictum, sapientiaeque plenissimum admirer: scio enim, hanc semper humanae naturae fuisse et esse imbecillitatem, ut et summa ingenia aliquid ex aetatis, qua vixerint, et hominum, quibuscum egerint, labe et opinionibus traherent: tamen, si forte in sententiam incidente obscuram, aut plane ineptam, quae cuidam inter veteres sapienti tribuitur, malo vel ignorantiam profiteri meam, vel, si licet, ita explicare, ut cum temporum ratione, hominisque conueniat doctrina, aliis, iisque luculentioribus testimoniis probata, quam vel sensum inferre ingeniosum magis, quam verum, vel, relictis omnibus, quas commoda licuerat explicatione tollere, ineptiis, ignorantiam ridere eorum, qui quondam sapientes audiebant. Quam iudicii lenitatem iure postulare posse videntur homines, quorum de sermonibus librisque quedam tantummodo fragmenta, veluti exiguae nauigii, tempestatis furore fracti atque discussi, tabulae, hinc inde dispersa nobis restant, e quibus interdum vix, et ne vix quidem cognosci potest, quid sibi voluerit auctor, et quomodo toti fuerint orationi adaptata. Audaciae igitur, ne quid grauius dicam, accusandi videntur, qui illa fragmenta, quamvis manifesta habeant corruptae orationis signa quodammodo impressa, sintque ab hominibus seruata, quorum fides debeat esse sublesta, vndiquaque tamen collecta,

seu

koperus de sensu huius Pythagorici symboli: *κυάμων ἀπέχες*, in *Miscell. Belgic.* vol. VI. to. II. p. 417. — 451. Hunc enim virum latere ibi sub nota R. R. didici a Dovillio ad *Chariton.* p. 609.

<sup>23)</sup> Quamquam nec ignoro, fuisse inter veteres scriptores, qui pisces a Pythagora scholae suae adseculis fuisse concessos traderent. Iamblich. l. c. c. 21. Diogen. VIII. 34. etc.

seu potius corrasa in vnum pro sua fingendi libidine cogunt, sicque *humano*, quod ait Horatius, *capiti ceruicem iungunt equinam*. Hi profecto non antiquissimorum hominum sententias exponunt, sed sua ipsorum nobis offerunt somnia, nec idonei sedent iudices, cum merita veterum in literas artesque liberaliores sunt dijudicanda. —

Quam igitur parsimoniam in victu, temperantiam in animi commotionibus, corporis tuendi causa, obseruandam discipulis suo ipsius exemplo praecipiebat Pythagoras, eandem continentiam in rebus quoque venereis secundae valedutini conseruandae necessariam esse adfirmabat. Amplexum enim omnem, quamuis rarum, sanitati tamen pestiferum, illique tantum concedendum esse iudicabat, qui infirmior, quam pro natura sua, esse velit: si tamen quis niteretur in vetitum, cuperetque negata, huic consulebat, ut hieme, non aestate, omnium optime autem vere atque autumno Veneri Amorique litaret<sup>24)</sup>.

Atque haec fere sunt, quae in Pythagora aliquod eius medicinae, quae victus rationem constituit, studium, aliquam eius cognitionem fuisse indicant. Illius vero, quae manu curat, cum non habeam ullum a Pythagora factae specimen, statim ad ea deueniam, quae de corporis humani partibus, structura, origine, et de variis harum partium muneribus, eorumque peragendorum ratione commentatus est. Incipiam a primo futuri hominis veluti stamine, semine humano, et quaenam Pythagorae hoc de humore, et de ratione, qua ex illo homo oriatur certo quodam ac finito tempore, sententia fuerit, indicabo.

Putabat igitur Pythagoras, *semen esse stillam cerebri, quae contineat calidum vaporem, et ad vuluam delata glutinosam*

B 3

*quandam*

24) Diogen. Laërt. I. c. 9. p. m. 495. — *excerpt. de virt. et vit. p. 555. ed. Wesseling. 10. II.* et Stobaeus serm.

XVII. p. m. 156. ed. Tigur. 1559. Πυθαγόρεας παρηγγύα μὴ πυντά τὸν ἄνθρωπον ἀπὸ ἀνθρώπων μὴ δεῖν συνέχως ἀφεοδιστὰς εἰν αἰνιττόμενος.

*quandam pituitam, aquam et sanguinem largiatur<sup>25)</sup>. Quam quidem opinionem, obscuram illam, ut mihi videtur, liceat experiri, an possimus explicatione reddere clariorem. Ac primum quidem si, diuisa sententia, inquirimus in id, quid voluerit philosophus, cum semen esse cerebri quasi stillam adsereret, duplex sese nobis offert explicandi ratio. Poterat enim Pythagoras vel propterea semen adpellare cerebri stillam, quod illud, in cerebro secretum et praeparatum, ad naturam marium aequa ac femellarum<sup>26)</sup> destillare, opinabatur: quae sententia, non aliena a rudiore adhuc istis temporibus rerum cognitione, etiam a discipulo Alcmaeone fuit defensa<sup>27)</sup>: vel quod ad seminis praeparationem optimum requiri sanguinem<sup>28)</sup> existimabat: quod Plutarchus, vel quisquis tandem auctor illius libri, quem de iis, quae philosophis placuere, conscriptum in eius operibus legimus, disertis verbis Pythagorae tribuit. Vtra interpretatio sit vero propior, ego non definiam, qui, quam incerto et titubante pede in hisce antiquissimorum temporum monumentis expli-*

25) Diogen. Laërt. I. c. 23.

26) Credebat enim Pythagoras, et femellas secernere, et, dum morigerantur, eiaculare semen. Cf. Plutarch. *de plac. philos. V. c. 5.* Vide intra eandem sententiam ab Alcmaeone, Empedocle, et Democrito defensam.

27) Plutarch. I. I. c. 4. Λλημαχίων ἐγνεΦάλς μέρης sc. semen esse putabat. Videtur ergo hanc a praecettore sumfisse sententiam. Nolo enim illud adfirmare, fuisse illam toti Pythagoricae scholae communem: quamquam et Platonem noui, quem sunt, qui Pythagoraeorum scripta compilasse arguant, similem plane de semine fuisse sententiam. Plutarch. I. c. Praeter hosce scriptores etiam Claudio Ptolemaeo περὶ ηριτιρίς καὶ σηγεμονικῆς, a Menagio ad Luërt. p.

365. laudato, eandem opinionem amplecti placuit.

28) Plutarch. I. c. Πυθαγόρας ἀ-Φέον (vel ob particularum semen constituentium subtilitatem, atque adeo leuitatem, vel ob albidum colorem,) τῇ χρησοτάτῃ αἷματος τὸ σπέρμα περιττώμα τῆς τροφῆς, ὥσπερ τὸ αἷμα καὶ μυελόν. Quid vero sit περιττώμα τῆς τροφῆς i. e. cibi recreuentum, et quomodo sanguis, medulla atque semen sic vocari queat, liceat Galeni (*de sanitat. tuend. I. c. 3. p. 42. to. VI. ed. Charter.*) verbis docere: καν τέτω τὸ μὴ ιατεργασθὲν ἀιριβῶς, μηδὲ ἔξομοιωθὲν ἔτε προσφύεται τῷ σωματὶ, καὶ ὡς περιττὸν ἀλλαται ιατὰ τὰς ἔνδον εὐρυχωρίας, οὗθεν περ αὐτῷ καὶ τὸν προσ προσ οὐπροσθεν ὁρθῶς ἐτέθη ΠΕΡΙΤΤΩΜΑ.

explicandis sit progrediendum, nouerim. Iam vero illud quoque attingam, quod semen ad vulvam delatum effundere quasi *pituitam* (*ἰχωρά*) *aquam* (*ὕγρον*) et *sanguinem* (*αἷμα*) visum est Pythagorae. Nolo ex hisce Laertii verbis illud cogere, atque philosopho tribuere, tria haec, *ἰχωρά*, *ὕγρον*, *αἷμα*, esse principia seminis: nolo cum hac eius sententia componere auctorem libri, *περὶ γονῶν*, qui ad Hippocratem refertur, cui semen ab optimis particulis omnis in corpore animali contenti fluidi constitui videbatur<sup>29)</sup>. Id potius agendum mihi esse sentio, ut ostendam, quo iure τὸν *ἰχωρά* verterim *pituitam*. Quam quidem notionem non vanam atque confictam esse, vno Aetii loco sufficiat probare. Adpellat vero is glutinosam illam pituitam, (recentiores *gelatinam* vocant,) quae e cochleis, acu vulneratis, profluere solet, *ἰχωρά* hoc quidem in loco: τρίβε ἐπιβαλὼν κοχλίων χερσαίων μεγάλων τὸν ΙΧΩΡΑ. δεῖ δὲ τότες διακευτεῖν γραφίω ζῶντας, καὶ τὸ ἀπορρέον μυξῶδες ἐπιβάλλειν τῷ Φαρμάκῳ. Idem igitur *ἰχωρό* et *μυξῶδες*<sup>30)</sup>.

Hanc et seminis materiam, quam et feminae coēuntes proiificant<sup>31)</sup>, continere aliud quoddam principium, quod forma et corpore careat, (ἀσώματος Graeci vocant,) et in quo posita sit praecipua seminis vis<sup>32)</sup>; ab illa formari carnes, membranas, nervos, ossa, capillos, totumque corpus animale: ab hoc vero animam sensumque prouenire<sup>33)</sup>. Delatum ad naturam muliebrem semen coire in massam quandam,

29) *to. III.* p. 180. ed. Charter. ἡ δὲ γονὴ τῇ ἀνδρὸς ἔξχεται, ἀπὸ παντὸς τῇ ὑγρῇ τῇ ἐν τῷ σώματι ἔστοι, τὸ ισχυρότατον αποκριθέν. Fluidas vero corporis nostri partes constituit has, sanguinem, aquam, bilem et pituitam. In una igitur bile differt a Pythagora incertus, sub Hippocratis nomine latens, auctor.

30) *tetrabibl. libr. VIII.* p. 150. ed. Aldin.

31) Plutarch. *I. c. V. c. 5.*

32) Plutarch. *I. l. c. 4.* Πυθαγόρας, Πλάτων, Αριστοτέλης ἀσώματον μὲν ἔναι τὴν δύναμιν τῇ σπέρματος ὥσπερ νῦν τὸν κινδύντα, σωματικὴν δὲ τὴν ὑλὴν προχειρέμένην. Diog. Laërt. *I. c. 28.* τὴν σωματικὴν ὑλὴν vocat σαγόνα ἐγκεφάλος. et τὴν δύναμιν ἀσώματον exprimit per Θεριάν ἀτμόν.

33) Diogen. Laërt. *I. c.*



dam, rudem adhuc et indigestam, quae intra quadraginta dierum spatum in corporis humani formam effingatur, et septem, aut nouem, aut decem ad summum mensibus secundum harmoniae leges in perfectum atque omnibus numeris absolutum foetum efformata excludatur <sup>34)</sup>. Habere infantem, recens in lucem editum, omnes quidem ad vitam necessarias facultates, earumque connubium ali et sustentari harmoniae legibus: easdem vero facultates certis demum et finitis temporibus sensim sensimque quasi euolui ac excoli. Atque hunc quidem sensum, qui subobscuris hisce Laërtii <sup>35)</sup> verbis inesse mihi videtur, ἔχειν ἐν ἀντῷ (sc. τὸ βρέφος, quod proxime praecedebat, non σπέρμα, quod Mer. Casaubonus <sup>36)</sup> voluit,) πάντας τὰς τῆς ζωῆς λόγυς, ὡς εἰρουμένων συνέχεται κατὰ τὰς τῆς ἀρμονίας λόγυς, ἐκάστων ἐν τεταγμένοις καιροῖς ἐπιγιγνούμενων, liceat exemplis quibusdam magis illustrare. Scilicet cognouerat, ut hoc vtar, Pythagoras, hominem, nisi quodam in sensus membraque sui corporis fruatur imperio, non posse sibi viatum facile comparare suum: obseruauerat, infantem, nisi ad finitum aetatis terminum peruenisset, impotentem esse corporis sui dominum: experientia edocetus nouerat, animi facultates, velut ignis semina in silice, absconditas latere, et, nisi diligenti eliciantur nutrianturque cura, torpere: viderat denique quasdam

cor-

34) Cum his, quae e Diogene l. c. haufsta sunt, conferenda sunt, quae Censorin. *de die natal.* c. 9. et 11. de hac Pythagorae sententia scripsit. Hic enim adferit, Pythagorae duo partus genera placuisse, septem mensium alterum, alterum decem: utrumque partum aliis dierum numeris conformari: illos numeros, qui in unoquoque partu aliquid mutationis adferant, dum aut semen in sanguinem, aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram conuertatur, inter se collatos rationem habere eam, quam voces ha-

beant, quae in musica σύμφυνοι videntur, etc. — Quae vnde hauserit Censorinus, et an vere sint e Pythagorae mente disputata, me nescire lubens profiteor.

35) l. c. scēt. 29. p. m. 51.

36) Cf. ille ad Diogenis l. c. ubi cum hisce Pythagorae verbis Senecam confert, ita de semine disputantem: *ut in semine omnis futuri hominis ratio est comprehensa, et legem barbae et animalium nondum natus infans habet: totius enim corporis in parvo occultaque lineamenta sunt: sic etc.*

corporis humani partes v. c. dentes etc. aliquantulum temporis demum post partum propullulare quasi, atque in conspectum prodire, sine quibus manca atque imperfecta maneret corporis nostri machina. Haec igitur intellexisse videtur per λόγις ζωῆς, quorum veluti principia et semina, in foetu etiam sparsa, sensim sensimque in infante adolescente progerminarent, et tempore et cultu ad maturitatem perducerentur. Neque tamen sum aut tam pertinax huius de intelligendo Diogenis loco factae coniecturae propugnator, quin meliora edocetus hanc cum Augusti Aiace in spongiam incidere iubeam, aut tam cupidus eorum, quae ab antiquissimis Graeciae Latiique philosophis scripta et disputata sunt, admirator, ut illius, a Pythagora prolatae opinionis patrocinium in me suscipere velim. Etenim id solum mihi agendum esse videtur, ut, quaenam fuerit Pythagorae mens, quidue spectauerit hac vel illa sententia, recte intelligatur.

Neque vero philosophum fugiebat, viam quoque actionem, qua res externae in sensu animamque agant, dignam esse, quam indagandi studio sapiens complectatur suo. Itaque diligentius sensuum natura considerata, omnium optimae sibi videbatur eam explicare posse positio quodam calidae indolis vapore, cuius ope vel visu, vel auditu, vel olfactu, vel gustatu, vel tactu denique res omnes extra animam positae, atque in sensu cadentes, perciperentur. In primis vero cerni vaporis illius vim in oculis, atque efficere, ut corpora, visu cognoscenda, etiamsi aëre et aqua sint veluti septa, cerni possint. Si enim vaporis illius indoles frigida foret, nos visus sensu destitutum iri, cum, vapore illo cum aëre aquaque eiusdem naturae, frigidæ scilicet, permixto, nihil sit, quod rerum obiectarum imagines ad oculos deferre queat<sup>37)</sup>.

Se-

37) Diog. Laërt. VIII. 29. p. m. 512. *ste Philosophen p. 519.) impugnata atque emendata sunt: τὴν τε αὐσθησίν κοινῶς, καὶ ταῦτα ἔιδος τὴν ὄρασιν, ατμόν*



Sed illo tamen, quamvis multum adiuuetur, non absolu*m* omnem sentiendi facultatem: reperiri enim praeter illum in unoquoque quoddam illorum principiorum, e quibus omnia, quae in oculos sensusque incurunt, facta atque conflata sint; ad visum quidem aetherem, ad gustum aquam, ad auditum aërem, ad olfactum ignem, ad tactum denique terram conferre quam plurimum <sup>38)</sup>.

Nescio, an opportunior se offerat occasio, de anima e Pythagorae sententia exponendi. Videtur ille quidem locus paulo alienior esse a nostra disputatione, qua in medicamentum Pythagorae scientiam inquirere constituimus. Dabit tamen nobis, opinor, huius rei veniam lectorum humanitas, cum illi sententiae, seu opinioni potius, quaedam quasi adspersa

*ἀτμόν τινα ἔναντι ἄγαν Θερμόν. καὶ διὰ τέτο λέγεται δι' ἀέρος ὄρφην, καὶ δι' ὑδατος. ἀντερείδεσθαι γὰρ τὸ Θερμόν ἀπὸ τῆς ΨΥΧΡΟΥ. ἐπεὶ τοι εἰ ΨΥΧΡΟΣ ἢν ὁ ἐν τοῖς ὅμιλοις ἀτμὸς, διεισῆνει ἀν πρὸς τὸν ΟΜΟΙΟΝ ἀέρα.* Ultima verba ita a Viro clarissimo vertuntur: *calidum a frigido reprimitur: si igitur vapor, in oculis contentus, frigidus esset, separaret se ab aere contrario b. e. calido.* Legit enim *ἀνάμοιον.* Ut fatear, quod sentio, alia mihi de hoc Laertii loco mens est, quam lubet brevibus explicare, audireque virorum doctrinam sententias. Diogen. l. c. 27. 28. etc. vocat aërem *ψυχρὸν:* nec hoc cum Tiedemannio l. c. p. 515. propterea in *ψυχρὸν* mutandum est, quod Timaeus ignem statuit siccae calidaeque, aërem calidae et humidae, aquam humidae, et frigidae naturae, terram denique frigidae et siccae esse. Poterat enim haec discipuli sententia esse, nec eadem praceptoris debebat tribui. Deinde, fac, scribatur *ἀνάμοιον* e viri clarissimi sententia: nec sic omnis sub-

lata est loci difficultas. Si enim ita tantum videre res obiectas possumus, vt aëris sit una cum illo vapore, cuius ope uti omnis omnino sensus, ita et visus absoluitur, calidae naturae: qui per aquam videre poterimus, quae, vt antea e Timaco narratum est, frigida est. Id ipsum sentiebat pro suo ingenii acumine cl. Tiedemannus l. c. p. 518. atque elaboridi rimam quaerebat in eo, vt concederet quidem frigidam aquae indolem, eam tamen radio ignis aetherei penetrari, (Diog. Laert. VIII. 27.) sive idoneam reddi statueret, per quam res visu cognoscendas videre possimus. Quid multa? Mihi videtur Laertii locus ita legendus: *ἀντερείδεσθαι — ἀπὸ τῆς ψυχρῆς.* *ἐπεὶ τοι γε — ἀτμὸς εἰ διεισῆνει ἀν — ὄμοιον ἀέρα,* i. e. *oppugnari enim calidum a frigido: aliquin, si frigidus esset in oculis contentus vapor, non discrepareret ab aere simili, f. commisceret se cum aere similis naturae h. e. frigidae.*

38) Stobaeus eclog. phys. I. p. 156.

adspersa sint, quae ad corporis humani structuram pertinent atque oeconomiam. Anima igitur Pythagorae videbatur composita esse, et constare ex aethere tam calido, quam frigido, atque adeo, cum per istum intelligeret ignem, purum illum, aethereumque, qui omnia peruadendo omnibus vitam motumque tribuat, verbo Deum; per hunc autem aerem; partim diuinae esse naturae, partim e materia conflata. Illam animae partem esse immortalem, vti aetherem, e quo sit desumpta, hanc vero perire: illam ratione praeditam, corporisque esse veluti reginam, hanc, et cupiditatum (*Ὀρέων*), et affectuum (*Ὥυμος*) matrem, illius imperio subiectam esse: illam per se subsistere, hanc indigere nutrimento, idque e sanguine sumere: illam, vt pote simplicem, formam carere omni, hanc, compositam et extensam, formam imitari corporis, sicque ab hoc morte solutam in aere vagari. Totam vero, tam illam, quae ratione, quam quae cupiditatibus affectibusque constet, animam ita in corpore dispositam, vt affectus occupent cor, cupiditates vero cum ratione in cerebro quasi regnent: contineri denique omnes illas tres partes venarum, arteriarum, neruorumque vinculo <sup>39)</sup>.

Memini me supra e variorum scriptorum locis ostendere, Pythagoram Aegyptum discendi causa adiisse, ibique cum sacerdotibus, penes quos utilissimarum maximeque mirabilium rerum cognitio recondita esse existimabatur, congressum, et, vt arcanam ipsorum cognosceret scientiam, multa perpessum fuisse. Ibi duo et viginta annos commoratus, Magos Persarum adiisse fertur, indeque redux in Graeciam, ciuitate, in qua fortunarum sedem figere posset, quae sita, tandem Crotone consedit, scholamque aperuit, multis magnorum virorum nominibus nobilitatam. Iam igitur apparere puto, vnde Pythagoras sua, nisi omnia, plurima tamen, hauserit, et vnde explicandarum sententiarum, quae

<sup>39)</sup> Sunt haec desumpta e Diogene *de placit. philos. IV.* cc. 4. 5. et Cicero. *Laërt. I. c. 30. 31. coll. cum Plutarch. quaest. Tusc. I. 17.*

huius philosophi scholae propriae erant, subsidia sint petenda. Quamquam vero multa deprehendimus, ab illo ex Aegyptiorum sacerdotum disciplina inter suae scholae sententias fuisse adoptata; duplum v. c. illam docendi rationem, communem alteram, quae ad omnes ipsius pertinebat discipulos, alteram vero arcanam, cui paucis tantum iisque probatis interesse amicorum contingebat: religiones varias, superstitionesque expiations: abstinentiae a variis cibis praecepta, idque genus alia: tamen adeo non in verba praceptorum iurabat, ut potius ea, quae aliter se habere repererat; libere corrigeret, suamque mentem discipulis exponeret. Liceat mihi, id probaturo, uno tantum exemplo defungi. Quemadmodum communis erat omnis Orientis populis opinio, ut omnia omnino insecta e putrescentibus generarentur cadaueribus: ita Aegyptii in primis gloriabantur de illa, reparandi apum stirpem e vitulo bienni, plagis peremto, arte<sup>40</sup>). Eandem generandi virtutem tribuebant limo, quem effusus per agros reliquerat Nilus<sup>41</sup>). Ex illo enim, solis aestu siccato, cum animaduerterent Nilicolae prouenire ingentem murium vim;

40) Conf. Bochart. *hieroz. libr. IV.* c. 10. p. m. 502. ff. Virgil. *georg. IV.* 281. ff. ad q. I. cf. vir illustris, Heynius, qui laudauit de hac opinione communi interpretes Varron. *de re rust.* II. 5. 5. p. 271. ed. Gesn. et III. 16. 4. p. 364. vbi in primis legi meretur eruditia Gesneri nota.

41) Diodor. *Sicul. bibl. I. c. 7. p. 11.* edit. Weseling. τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς ζωογενεῖν τὴν γῆν, εἰ καὶ παράδοξον εἶται τισι Φανεταῖ τὴν τότε ἐνέργειαν, Φασὶ καὶ τὰ μέχρι τοῦ γηρόμενα μαρτυρεῖν ἑαυτοῖς. οὐταὶ γάρ τὴν Θηβαΐδα τῆς Ἀιγύπτου, οὐδὲ ἐν καιρὸς πλεονάση τὴν ἀνάβασιν ὁ Νεῖλος — πληθῶς μυῶν ἐκ γῆς ἀναβήθητον γεννᾶσθαι etc. Qui locus cum non satis cohaereat cum antece-

dentibus, in marginem a Wesselingio proscriptus est: iuste, an iniuste, docebit, M. Chr. Dan. Beckius, Vir hand leui graecae linguae cognitione, et criticae artis facultate imbutus, cuius nouam Diodori editionem mecum non poterit non audire exspectare quilibet graecarum literarum amans. Vid. et Mela *libr. I. c. 9.* Plinius *hist. nat. IX.* c. 58. Macrob. *Saturn. VII. 16.* Deinde (sc. postquam natura priuum singula animalia perfecta formauit,) perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione successio: perfecta autem in exordio fieri potuisse, testimonio sunt nunc quoque non pauca animalia, quae de terra et imbre perfecta nascuntur, ut in Aegypto mures, et aliis in locis ranae serpentesque et similia.

vim; et hanc horum animalium generationem a Nili fecunditate deriuabant. Pythagoras vero huius opinionis vanitate adeo non decipi se patiebatur, ut potius communi praecceptorum suorum errori haud cederet, sed libere negaret, istam generationem naturae legibus fieri posse: animalia enim tantum semine ab animalibus, non putredine procreari <sup>42)</sup>.

Dierum denique criticorum, quos climaetericos vocant, leges primum a Pythagora fuisse obseruatas scriptasque, sunt, qui Galeni <sup>43)</sup> auctoritate inducti contendant. Verum enim vero, quamuis ego multa legerim, quae Pythagoram multum studii posuisse in numerorum natura rimanda, atque quibusdam numeris tribuisse, nescio quam, praestantiam et excellentiam pree reliquis doceant: tamen nescio, an locupleti scriptoris antiqui testimonio probari queat, philosophum hanc de numerorum natura doctrinam ad morbos annosque vitae humanae transtulisse, diesque annosque hos sanitati vitaeque inimicos nostrae, illos innocuos iudicasse.

Pertractatis igitur his, quae Pythagoram non oscitantem fuisse corporis humani spectatorem ostendunt, liceat subiungere ea, quae de morborum et causis et remediis statuerit. Videtur tamen ante omnia exponenda esse, quam sibi finxerat sanitatis notionem. Et eam quidem variam variis in locis finiit. Nunc enim illam constantem formae florrem (*εἰδος διαμονήν*) vocitando <sup>44)</sup> ad id respiciebat, quod prosperam sequi valetudinem solet; nunc amicum quendam

### C 3 consen-

<sup>42)</sup> Diogen. Laërt. I. c. 28. p. m. 510.  
<sup>43)</sup> *de facil. parand. med. libr. III. 10. X. p. 663.* vbi tamen, libro diligenter perfecto, ne vestigium quidem invenire potui illius Pythagorae tributae opinionis. Hoc quidem constat, illum distribuisse humanam vitam in quatuor aetates, et unicuique viginti tribuisse annos. Diog. Laërt. I. c. 10. p. 495. Nisi tamen quis velit sola Galeni auctoritate acquiescere, qui (*de dieb. crit. libr. III. c. 8. p. 501. 10. VIM.*)

Pythagoram miratur, quamuis sapientem, tamen nimium numeris tribuisse. E quibus quidem verbis ego tamen nescio, qui illud cogi possit, Pythagoram iam dierum quandam statuisse differentiam, aliosque, tanquam tunc de aegris iudicaretur, criticos (*κριτίμενος*) adpellasse. — Censorini enim (*de die nat. c. 14.*) testimonium, vereor, ut villa apud seueriores iudices sit auctoritate.

<sup>44)</sup> Diogen. Laërt. I. c. 35. p. m. 518.



consensum et harmoniam <sup>45)</sup>, ad causam fundamentumque, cui innixa consistit. Quae quidem harmonia in quonam praecipue posita fuerit, quamquam Pythagorae verbis docere non possumus: tamen id illorum, qui eius auctoritatem amplectabantur, scripta satis ostendunt. Theages enim sanitatem cerni existimabat in apta quadam facultatum, quae in nostro corpore sunt, temperie: et quemadmodum in musica arte omnis pereat concinnitas et harmonia, si quis acutos et graues sonos, illorumque ad hos rationem tollere velit: ita et concussam corruere sanitatem, ratione, quae inter frigidum et calidum, inter humidum et siccum etc. e naturae legibus obtinere debeat, sublata <sup>46)</sup>. Iam vero quod ad causas morborum attinet, quamquam eas poterat ex harmoniae perturbatione deriuare; tamen, silentibus hac de re omnibus, qui vitae eius opinionumque scriptores nostram tulerunt aetatem, illam sententiam non fuisse videtur, potiusque omnium morborum causas huic vni subiecisse: immensa illa aëris aequora plena esse animis, quae daemonum atque heroum nomine insignes hominibus somnia immittant, signaque morborum tradant et sanitatis <sup>47)</sup>. In cuiusquidem opinionis patrocinio suscipiendo parum, imo vero nihil dissentiebat a communi sua aetatis, et antiquiorum adhuc temporum errore, quo cum omnes morbos, tum illos, qui celeriter, et praeter opinionem incidunt, hominesque oppressimunt, quorumque signa insolita sunt, et immanitate terrerent sua, Deorum irae tribuebant. Hinc facile est ad perspiciendum, in quonam potissimum, uti tota antiquitas, ita et ille collocauerit morborum tollendorum remedia, prospereque valetudinis tuendae subsidia. Expiationes scilicet, sacrificia, iustificationes, aliaque, quibus daemonum heroumque illorum ira leniri possit, satis efficacem praebere medicinam ipsis videbantur. Neque tamen in illorum usu solo omnem

45) Ibid. §. 33. p. m. 514.

m. 9. lin. 35. ff. coll. cum pag. 12. lin. 17.

46) Apud Stobaeum sermon. I. p.

47) Diogen. Laërt. l. c. 32. p. 514.

omnem medendi morbis scientiam positam a Pythagorā fuisse putandum est; musices enim in hominum animos vim ita cognitam perspectamque habuit, ut ipsam non dubitaret tum adhibere, cum tristitia ac moerore debilitatos penitusque fractos, aut vehementioribus animi commotionibus de statu mentis deiectos deprehenderet<sup>48)</sup>). Qua in re exemplo praeiuit suo summis in arte nostra viris, cum quos antiqua, tum quos recentior protulit aetas. Galenus<sup>49)</sup> enim, ut unum e multis laudem, hac ipsa ratione multos personatos fuisse adfirmat, quos effrenis animi perturbati licentia adfixerat, nec tota medicamentorum farrago restituere sanitati poterat suae. Galeno illustres temporum recentium medicos liceat comites adiungere<sup>50)</sup>, quorum luculento ac locupleti testimonio constabit, non vana esse, quae de musices in animi commotionibus sedandis vi tradiderant antiqui, sed experientia, firmissimo salutaris professionis fundamento, niti. His, quae Pythagoram medicinam fecisse probare videntur, nescio, an addere debeam cum illud, quod, solo Diodoro<sup>51)</sup> teste, Pherecydem decumbentem adiit, morboque liberare fit omnibus viribus conatus: tum quod magis externis remediis, quam internis in usum vocatis contra morbos pugnaue-

48) Huius rei testimonium peti potest e Timaeo apud Gale. (*opusc. myth.* p. 562.) coll. cum Porphyri. in *vit. Pythag.* num. 30. p. 36. et 33. p. 37. — Quid? quod et ebrios commessatores ad sanam reuocauit mentem musices vi. Cf. Basil. Magn. or. *de leg. gent. libr. §. 13.*

49) *de sanit. tuend. I. c. §. 10. VI.* p. 53. quo in loco etiam huius consilii auctor laudatur Aesculapius: ἐκ δὲ λίγας δ' ἡμέτερος αὐθεντικής νοσέντας ὅστις ἔτη διὰ τὸ τῆς ψυχῆς ἥθος ὑγιεινὴς ἀπεδείξαμεν επανορθωσάμενοι τὴν ἀμετρίαν τῶν ινήσεων. καὶ σμικρὸς δὲ τῷ λόγῳ μάρτυς, καὶ δὲ πάτερος Θεὸς ἡμῶν, Ἀσκληπιός, ἐκ δὲ λίγας φύ-

δάστε γράφεσθαι, καὶ μίμες γελοῖαν, καὶ μέλη τινα ποιεῖν ἐπιτάξας etc.

50) Vid. D. Io. Willb. Albrecht *de effectu mus. in corp. anim.* p. 122 — 136. ubi medicorum omnium fere, qui musices in corpus animale efficaciam experti sunt, testimonia diligenter collecta legi possunt.

51) *In excerpt. de virt. et vit. p. 554.* Πυθαγόρεας πυθόμενος τὸν Φερεκύδην — ἐν Δήλῳ νοσεῖν, καὶ τελέως ἐσχάτως ἔχειν, ἐπλευσεν ἐν τῇσι Ιταλίαις εἰς τὴν Δῆλον. ἐκεῖ τὸν χρόνον οὐανὸν τὸν ἄνδρα γηροτροφήσας, πᾶσαν εἰσενέγκατο σπεδὴν, ὥσε τὸν πρεσβύτην ἐν τῇσι νόσοις διασώσας, κατισχύσαντος δὲ τῷ Φερεκύδῃ etc.



nauerit, et illis ut plurimum ad vlcera sananda usus sit, quorum in curatione secare atque vrere noluerit. Id enim de schola tantum, cui nomen famamque dederat Pythagoras, Iamblichus <sup>52)</sup> ita narrat, ut incertum relinquat, atque infinitum, an praceptoris id ea fecerit auctoritate, et exemplo inducta, nec ne.

Haec igitur, quae salutaris artis aliquam scientiam in Pythagora fuisse ostendunt, vtrum e libro aliquo, de medicina a Pythagora scripto, petita; an solummodo ex sermonibus, ad familiares habitis, hausta sint, iam nunc breuiter disquiramus. Evidem illud opus, quod *de natura conscripsisse* fertur <sup>53)</sup>, non commemorabo, cum nullo constet aut inde decerpto fragmento, aut aliis scriptoris testimonio, philosophum in illo tractasse naturam hominis, humani corporis partes et structuram considerasse, earumque varia munera, et munerum peragendorum variam rationem explorasse. Maiori fortasse iure poteram ad alium de magicis herbarum viribus librum prouocare, quem Plinius <sup>54)</sup> ad

Pytha-

52) *De vita Pythag.* c. 34. p. m. 204.  
 ἀφισθαι δὲ καὶ ΚΑΤΑΠΛΑΣΜΑΤΩΝ ἐπιπλείον τὰς Πυθαγορείς τῶν ἔμπροσθεν· τὰ δὲ περὶ τῆς ΦΑΡΜΑΚΕΙΑΣ ἡττον δοκιμάζειν. αὐτῶν δὲ τέτων πρὸς τὰς ἑλιωσεις μάλιστα χρησθαι. τὰ δὲ περὶ τὰς τουμάς καὶ καύσεις ἥπιστα πάντων ἀποδέχεσθαι. Iac. Loganus in *misc. obseru. nou. to. I.* p. 10. emendat ἀφισθαι δὲ χρισμάτων (seu χρίσεων) καὶ καταπλασμάτ. nescio, an necessaria conjectura. Magis placet, quod τὰ περὶ τῆς Φαρμακείας exponit de potionibus et medicamentis internis: quem sensum hisce verbis inesse debere, antea iam notaueram, quam in huius viri notas incidebam, quibus Kusteriana Iamblichi editio augeri potest. — Ferrum ignemque ad vlcera sananda olim adhibitum fuisse,

docent plura Celsi loca v. c. V. c. 26. vetus autem vleus *scalpello* coincidendum (ita leg. cum Leon. Targa p. 283) est, excidendaque eius orae, et quicquid super eas liuet, incidendum. Ibid. p. 284. post *vstitutionem* putris vlceris etc.

53) Diogen. Laërt. l. c. 6. p. 492. γέγραπται δὲ τῷ Πυθαγόρᾳ συγχριματα τρία· παιδευτικόν, πολιτικόν, Φυσικόν.

54) *Histor. nat.* XXV. p. m. 360. ab eo (Homero) primus Pythagoras, clarus sapientia, de herbarum effectu volumen composuit, Apollini, Aesculapioque, et in totum Diis immortalibus inuentione et origine adsignata. Cui loco add. et *libr. XIX* c. 5. p. 169. vnam de iis (scillae generibus) volumen condidit Pythagoras philosophus, colligens medicas vires, quas proximo reddemus libro,

Pythagoram refert auctorem. Cuius quidem operis aliqua videtur pars in medicis scillae virtutibus explicandis occupata fuisse. Plinius certe cum vires scillae medicas magicasque enarrat, Pythagoram laudat philosophum, nec aliis, quam quem ab hoc de magicis herbarum viribus conscriptum esse commemorauit, libri iniicit mentionem. Plinii partes amplectitur et auctor libri tertii *de medicamentis facile parabilibus*, et Samium philosophum in scillae vires inquisiuisse testatur<sup>55)</sup>. Quae omnia, quamuis probabiliter disputari possent: tamen cum non ignorem, et Plinium sibi non constare, et alio in loco, quem nunc Pythagorae tribuit librum, eundem Cleemporo a multis adsignari, profiteri<sup>56)</sup>, coniecturis non diutius inhaerebo speciose exornandis. Quamlibet enim eligamus sententiam, seu libros a Pythagora de medicina compositos adfirmemus, seu cum aliis contrarias amplectamur partes; hoc tamen, cuius causa haec omnia hucusque sunt disputata, extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur, fuisse in Pythagora et studium et intelligentiam salutaris artis, pro illorum temporum ratione insignem.

#### A L C M A E O N.

Videbatur in huius viri, quamquam a Celso in sapientum, medicinae studio illustrium, censem non relati, merita iniurius esse, si, quem in scholis suis, philosophiae contemplatio-

55) το. X. p. 663. ὑγιεινὸν κάλλισον τὸ περὶ σκίλλης Πυθαγόρα γραφὲν — καὶ αὐτὸς μὲν ὁ Σάμιος γέρων (ἐκ ἀγνοεῖς γὰρ ὅσου χρόνου προσένοψεν) μέμνηται ἐν τῷ συγγραμματὶ etc. Hinc nescio, an cum Menagio ad Diog. Laëtit. p. m. 376. b. Mureti (*var. lect. IX. c. 20. in Gruter. Lamp. crit. το. II. p. 1049.*) emendatio sit reiicienda, in Diogene (*VIII. 47. p. 525.*)

legentis τὰ περὶ σκίλλης γεγραφότα pro vulg. τὰ περὶ κήλης γεγρ. Pythagoram enim philosophum etiam scilicet admisuisse cibo, famis arcendae causa sumto, Porphyrius in *vit. Pythag. num. 34. p. 38. ed. Kuster.* auctor est.

56) hist. nat. XXIV. 17. p. 351. nec me fallit, hoc volumen eius a quibusdam Cleemporo medico adscribi.



plationi dicatis, etiam ea discipulos docuisse suos tradunt scriptores antiqui<sup>1)</sup>, quae ad penitorem corporis humani notitiam pertinent, silentio praetermitterem.

Ac dissectorum quidem animalium primam, si Chalcidio<sup>2)</sup> fides habenda, laudem sibi vindicauit, in primis in oculi structura rimanda occupatus, de qua multa et praeclera in lucem protulit. Quae qualia fuerint, aliorum scriptorum testimoniis destitutis diligentius exponere haud licet. Et enim illa, quae Chalcidius *l. c.* de oculi natura, variis eius partibus, variaque harum coniunctione attulit, quamuis egregia, tamen, cum e pluribus scriptoribus sint collecta, in medio quasi relinquunt, quid ab Alcmaeone inuentum explicitumque fuerit. Vedit idem iam celebris historiae mediceae scriptor, *Io. Henr. Schulze*<sup>3)</sup> cuius sententiam, a rei veritate haud alienam, meam facere haud dubitavi. Eandem, incisis cadaveribus comparatam, corporis animalis cognitionem comprobant ea, quae de ductu aliquo, ex aure in fauces hiante, teste Aristotele<sup>4)</sup>, statuit Alcmaeon. Cum enim capras per aures respirare adsereret, videbatur viam aliquam inuenisse, quae ex aurium cauitate ad fauces tenderet. Istius

tamen

1) Diogen. Laërt. *VIII*. 33. p. 542.  
Αλκμαιῶν Κροτωνιάτης, καὶ ἔτος  
Ποθαγόρες διήκεστε, καὶ τὰ πλεῖστα  
γε iατρικὰ λέγει.

2) *Comment. in Platon. Timaeum* p. 340. ed. Meurs. de oculi natura cum plerique alii, tum Alcmaeus (*varie enim scribitur* huius philosophi nomen: nunc Alcmaeon, nunc Alcmaeus, nunc Alcman.) Crotoniensis, in physicis exercitatus, quique primus exectionem adgredi est ausus, at Callisthenes, Aristotelis auditor, et Herophilus multa et praeclera in lucem protulerunt.

3) Vid. *biflor. anatom. spec. I.* diss. sub eius praefatio defensa a Io. Khelle. Altorf. 1721. §. 32. p. 30.

4) Cf. *biflor. anim. libr. I. c. II. p. m.* 770. ed. du Vall. εἴτι δὴ οὐφαλῆς μορίον, δι' ἐπίκει, ἀπνευ, τὸ ἔσ. Αλκμαιῶν γάρ ἐπὶ ἀληθῆ λέγει, Φάμενος, ἀναπνεῖν τὰς σῆμας ηπατὰ τὰ ώτα. In quo loco qui e Varron. de re rust. II. 3 p. m. 260. coll. cum Plin. bifl. nat. *VIII*. 50. Αρχέλαος pro Αλκμαιῶν legi malunt, (id quod fecere Victor. var. lect. XXXVI. 9. p. m. 988. et Mercurialis. var. lect. 2. 10.) ii viderint, an cum rationibus chronologicis coniecturam componere possint suam. Vixit enim Archelaus ille Ptolemaeorum temporibus atque adeo post Aristotelis tempora. Animadversum est idem iam ad Arist. *l. c.* a commentatoribus.

tamen itineris descriptionem pro ea, qua erat in omnes, qui ipsius aetatem occupauerunt, viros, inuentorum laude claros, iniuitate <sup>5)</sup>, reticuit Aristoteles ita, vt haberet, de cuius inuento posset gloriari. Nam paucis tantum interiectis, descripsit ductum, qui a Bartbolomaeo Eustachio in inuenti honorem nomen accepit, sic, vt eum ab illo crederes demum fuisse detectum <sup>6)</sup>.

At audio quosdam, qui Chalcidii testimonium eam ob rem vlliis auctoritatis esse negant, quod is homo, cuius philosophiae praecepta carnium esum, omnemque omnino cadaueris contactum interdicebat, vix et ne vix quidem incisis animalium cadaueribus ad laudis honorem adspirare potuerit <sup>7)</sup>. Quorum quidem aduersariorum argumenta vereor, ne fundamento innitantur facile diruendo. De carnis enim a Pythagoreorum victu exclusis, tanta inter scriptores antiquos dissensio est, vt difficillimum sit ad decernendum, quid hac in re placuerit illius familiae auctori. Sunt, qui Pythagoreos nulla praceptoris lege coercitos, atque carnium victu interdictos fuisse contendant; inter quos Aristoteles, Aristoxenus, Alexis <sup>8)</sup> aliique: alii, si numerum spectemus, laudatis superiores, sin aetatem fidemque, longe inferiores, contrariam tuentur sententiam <sup>9)</sup>: alii de-

D 2 nique

5) Conf. Hornius *bist. philos. libr.* 3. c. 15. p. 197. Moshem. ad *Cudworth. syst. intellect.* p. m. not. 2. Sam. Packer *disput. I. de Deo §. 5.* p. 16. vt ipse (Aristoteles) solus principatum obtineret, nihil in omni philosophia tam adsidue conatus est, quam vt philosophorum omnium, qui antecesse-runt, existimationem imminueret.

6) *I. c. τετο* (sc. τὸ ζεῖ) εἰς μὲν τὸν ἐγκέφαλον εἰς ἔχει πόρον, εἰς δὲ τὸν τε σοματος ψευδόν.

7) Vid. Ioh. Conr. Barchusen *de ortu et progressu medicinae p. m. 127.* Eodem loco alium errat errorem vir-

eruditus, cum Alcmaeonis aetatem in Platonis tempora incidisse adserat. Ille enim iam floruit olymp. LXV. atque adeo tunc temporis XXX, et quod excurrit, annos haud dubie natus: hic vero demum olymp. LXXXVIII. nasciebatur, quo tempore Alcmaeon octogenarius senex esse debebat.

8) Trium horum scriptorum testimonia Gellius *noct. att. IV. c. II.* commemorat, quem cf.

9) V. c. Seneca *epist. 108.* Lucian. *vit. auct. I. c. Plutarch. de carn. esu.* aliique.



nique medium ingrediuntur viam, atque aut quorundam tantum animalium carnes in victimum cessisse Pythagoreis, alias contra ea vel ut impuras, vel ut sanitati aduersas, vel ut Diis sacras ab iis fuisse spretas, aut denique quandam quasi discipulorum classem, quae esotericorum vocatur, seueriores has cibi potusque leges obseruasse credunt<sup>10)</sup>). Et horum quidem sententiam, cum liceat et cum illorum scriptorum testimonio, qui Pythagoram suae philosophiae adseculis animalem victimum concessisse adfirmant, et cum illorum auctoritate componere, qui id negant, ego quoque, si quae partes amplectendae sint, nec adsensionem liceat retinere, probaverim. Neque vero mortuorum corporum fuga omni dubitationi erepta esse videtur. Quamquam enim Pythagoras<sup>11)</sup> discipulis praecipiebat suis, ut ne castitatem, qua Deos colendos esse existimabat, funeribus currandis laederent: tamen inde non efficitur, ut omne vitare deberent cadauer, ab eoque attingendo abstinere. Nam si haec fuerat illius praecepti vis, illud ipse Pythagoras, cum ad Pherecydem proficiseretur, ut praceptorum, morbo foedo confectum, sepeliret<sup>12)</sup>, sui exempli auctoritate erat labefactatus. Itaque hoc potius voluisse videtur Pythagoras, castitatem illam laedi quidem, vti funerum curatione, ita Veneris vsu, et victimu ex animalibus impuris, et quae sunt reliqua: eandem tamen expiationibus, lauacrisque de novo reparari posse. Quae cum ita sint, non video concussum corruere testimonii, a Chalcidio pro cognitione partium quarundam internarum corporis animalis, quam sibi Alcmaeon incisis cadaueribus comparauerit, dicti auctoritatem. Neque vero dubito, illam ipsam virorum eruditorum confirmationem, Alcmaeonem, quod Pythagorae philosophiam secutus

<sup>10)</sup> Vid. Scheffer. de *philos. ital.* p. 134. — Omnem hanc litem, diu multumque inter eruditos agitatam, nuper clarissim. Tiedemann, *l. c.* p. 310 — 315. diligenter exposuit.

<sup>11)</sup> Diogen. Laërt. VIII. 33. p. 515.

<sup>12)</sup> Diodor. Sicul. in *excerpt. de virt. et vit.* *l. c.*

secutus sit, *non adgessum esse exsectionem*, diluere ita, vt Aristotelem excitem, qui, si Pythagoreis, vt cadauer attingerent vllum, interdictum fuisset, optimam nactus erat occasionem, in inuenta eorum palam inuadendi, sibique eorum tribuendi honorem. At cum tectius rem egerit istam, cauſae videtur diffiſus esse ſuae, atque metuiffe, ne, fraude de tecta, in ſeculi reprehensionem incurreret ſui. Doctrina igitur Pythagoreorum, illuſtribus probata documentis, plane non in dubitationem vocata, illorum ſolum tacuit nomina tunc, cum eorum inuenta scriptis ſuis inferebat.

Iam vindicata, quantum in noſtra facultate fuit, Alcmaeoni inciforum animalium gloria, videamus, quanam ratione iis, quae anatome cognouerat, uſus fit ad varia corporis animalis munera explicanda. Atque in ſenſuum quidem natura rimanda praceptoris reliquit ſententiam, aliamque ingressus est viam, eos, anatome facem praefereſte, expo nendi. Etenim *auditum* pendere adſerebat non a calido illo, qui Pythagorae placuit, vapore, ſed a loco vacuo, in au rium penetralibus conſpicuo, qui ab aëris vibrantis impulſu concuſſus ederet ſonum <sup>13)</sup>: hunc, pro vi maiore minoreue pulsantis aëris, fortiorem debilioremue miram efficerē ſonorū varietatem, quae apta coniunctione aures deliniret noſtras. Odorata corporum effluvia attrahi diſcernique ab illa, quae ratione praedita eſt, animae parte, in cerebro collocata, ſicque *odoratum* perfici <sup>14)</sup>. *Gustatus* denique indolem in humida, tepidaque linguae natura poſitam eſſe, qua, cum mollitie coniuncta eiusdem, ſapores a ſe inuicem diſtinguerentur <sup>15)</sup>.

Semen, quod ex utroque parente venire existimabat <sup>16)</sup>, eſſe cerebri partem <sup>17)</sup>, ſupra iam ab Alcmaeone fuiffe de fenuſum, monui: ex hoc foetum, cuius ſexus ab illo parente

D 3

pen-

<sup>13)</sup> Plutarch. *bifl. philos.* IV. 16.

<sup>16)</sup> Censorin. *de die nat.* c. 5. p. 26.

<sup>14)</sup> Plutarch. *l. l. c. 17.*

<sup>17)</sup> Lindenbr.

<sup>15)</sup> Ibidem c. 18.

<sup>17)</sup> Plutarch. *l. l. V. c. 3.*

pendeat, a quo vberior feminis copia aduenerit <sup>18)</sup>, formari ita, vt caput, praecipua corporis animalis pars, animi quippe sedes ac domicilium effingatur primum, cui sensim sensimque aliae succederent partes <sup>19)</sup>. Perfectum corpus et absolutum adsugere per totam ipsius superficiem, spongiae instar, ex humoribus, foetum in vtero cingentibus, particulas nutrientes, easque per omnem distribuere corporis molem <sup>20)</sup>. Quam quidem sententiam, teste Aristotele <sup>21)</sup>, de auium quoque generatione fouit, quas e vitello ouorum natas albo ex iisdem nutriri contendebat. — Hominis iguen tunc demum pube contegi, cum semen ad generandum aptum secernatur; vti plantae prius florere debeant, quam in semina abire possint <sup>22)</sup>. — A Venere imminui adipem <sup>23)</sup>. —

Sterilitatis quoque, in mulis obseruatae, causam anquisiuit, in qua indaganda et philosophi et medici haud pauci desudarunt, eamque partim in tenui frigidoue mulorum semine, partim in eo inuenisse sibi videbatur, quod mularum matrices non hiarent, nec adeo ad semen recipiendum idoneae essent <sup>24)</sup>.

Neque vero minus exercuit philosophos antiquissimorum temporum somni mortisque explicatio, quam Alcmaeon hac fere ratione animo conceperat suo. Sanguine ad maiora sanguifera vasa refluo, maximamque ibi partem stagnan-

<sup>18)</sup> Censorin. *I. l. c. 16.*

<sup>19)</sup> Plutarch. *I. l. c. 17.* Idem illud, docuit Aristoteles, (*bist. anim. III. c. 7.*) una cum spina dorfi primum fingi in animalibus, quorum corporis moles ossium compage suffulta est.

<sup>20)</sup> Ibidein.

<sup>21)</sup> Cf. *de gener. anim. libr. III. c. 2. p. m. 1099.*

<sup>22)</sup> Vid. Aristot. *bistor. anim. VII. c. 1. p.*

<sup>23)</sup> Censorin. *I. l. c. 5.*

<sup>24)</sup> Plutarch. *I. l. c. 14.* Ἀλκμαιών τῶν ἡμιόνων τὰς μὲν ἀρρένεις ἀγόνεις, παρὰ τὴν λεπτότητα τῆς θορής, ὁ ἐσι σπέρματος, ἢ ψυχρότητα· (ita cum Reiskio leg.) τὰς δὲ θηλείας παρὰ τὸ μὴ ἀναχασμένην τὰς μίτρας, ὁ εσιν αναζομέσθαι· ΟΤΤΩ ΓΑΡ ΑΤΤΟΣ ΕΙΡΗΚΕΝ. Qui locus vel eam ob causam notandus est, quod ipsa Alcmaeonis verba, forte e libro physici argumenti (Φυσικὸς λόγος. cf. Diogen. Laërt. VIII. 83. p. m. 542.) continentur.

stagnante, hominem incidere in somnum, qui non nisi sanguine denuo aequaliter per totum corpus distributo discuteretur: quod nisi fieret, sanguine potius ad ista maiora vasa confluente omni, mortem accidere <sup>25)</sup>.

Sanitatem denique in aequali proportione distributio- neque calidi frigidique, siccii atque humidi, amari atque dulcis, similiusque facultatum cerni: qua ratione aliquo modo turbata, calidoque aut frigido, aut humido, aut sicco etc. praescriptas a natura leges migrante, morbum incidere <sup>26)</sup>. In qua quidem sententia defendenda Pythagorae agnoscimus discipulum, subobscuram *harmoniae* vocem, qua ille sanitatem comprehendebat, verbis intellectu facilioribus exponen- tem. Similis, vel potius eadem prosperae valetudinis descriptio, a Theage facta, nisi iam fuisse in superioribus oc- cupata, cum hac Alcmaeonis poterat comparari.

Quae hucusque de medica Alcmaeonis scientia sunt disputata, ea, opinor, satis clare innuunt, illam magis in contemplatione, quam in actu positam fuisse. Iam vero liceat cum illo componere Empedoclem, virum summi inge- nii, nec vulgaris doctrinae, quem naturalis philosophiae studio floruisse, Gellius <sup>27)</sup> testatur, atque cum, quae ostendant, quo iure a conditoribus historiae medicae inter eos relatus sit, qui cum sapientiae studio artis salutaris professio- nem coniunxerunt, tum ea colligere, quibus sententias Alc- maeonis emendauit, auxit, firmauitque.

EMPE-

25) Plutarch. *I. I. c. 23.* in quo lo-  
co cum Reiskio αἰμόρρεγς Φλέβας le-  
gi malim. Ita enim maiores venas,  
quae sectae multum sanguinis fundant,  
vocari, loca Hippocratis docent, a  
Foësio in *oecon.* *Hippocr.* v. αἰμόρρεγς  
Φλέβας, allata. — Dein vi opposi-  
tionis addidi illa: *maximam partem,*  
quae in graecis non legitur.

26) Plutarch. *I. I. c. 30.* quem lo-  
cum is cum Stobaeo (*sermon. XCIX.*  
*p. m. 512.*) e communi fonte videtur  
haufisse. E Plutarcho tamen addi velim  
ψυχεῖ, quod haud dubie a vicino  
πικρῷ male expulsum est.

27) Vid. *noct. attic. XVII. 21. p. m.*  
431.

Cognitionis medicae, quae in hoc fuit, specimina enarraturus eidem ordini, quo in antecedentibus usus sum, studebo, atque, omnibus relictis, ea quae anatomes aliquam peritiam probant, ita exponam, ut cum Alcmaeonis inuentis contendam.

Quae igitur Alcmaeon de auditu, a vacuo intra aures posito loco, qui aeris impulsu percussus resonaret, pendente adseruerat, ea ita emendauit Empedocles, ut hunc sensum potius vi aëris perfici contenderet, qui pertundens partem cochleae similem, et in aurium cauitate veluti tintinabulum quoddam suspensam, sonum ederet, ab animo percipiendum discernendumque <sup>1)</sup>. Quae verba quamuis videantur clara, et sine omni ambiguitate dicta: tamen fuerunt inter viros eruditos recentiorum temporum, qui aegrius forte ferentes, quod Empedocles, illa videlicet rudi et illiterata, qua vixit aetate, iam ad interiora auris penetralia inuestigando peruerterit, negarent Empedoclem hisce, quae laudauit, verbis significasse cochleam, in osse petroso ante canales, semicirculares dictos, sitam, sed potius innuisse tortuosos cartilaginis anfractus, qui aurem externam constituunt. Cupidi tamen illi omnis antiquitatis reprehensori viderint, qui ipsorum adsertio cum Plutarchi verbis stare possit. Is enim partem κοχλιώδη, quae ab aëre percussa resonet, et quam tortuosam interpretantur, non extra aurem positam, sed intus ab Empedocle collocatam fuisse narrat. Quo quidem testimonio omnis cadit et quasi praeciditur disputatio de vera vocis κοχλιώδες explicatione orta.

Alcmaeonem vidimus in sterilitatis, quae mulis solemnis esse solet, causam inquisiuisse, in qua reperiunda et Empedocles studium operamque posuit suam. Ille cum in mulos,

tum

1) Plutarch. *de plac. philos. IV. c. 16.*

tum in mulas infecunditatis culpam conferebat; hic illis liberatis, has tantum reas iudicatas condemnabat. Etenim mulas negabat foetum concipere posse, cum ipsis natura veteros concederit graciles, exiguos, quorumque obliquus in abdomine positus impedit, quominus semen via recta ad illos peruerat, ac etiamsi eo usque penetrauerit, tam arcte clausos, ut illud intrare non possit <sup>2)</sup>). Cuius quidem opinionis haud dubie obseruationibus, ex mularum dissectione collectis, superstructae defensionem suscepit quoque Diocles, celebris post Hippocratis tempora medicus, eamque pluribus mularum uteris incisis veram inuenisse testatus, ad sterilitatis, quae multis incessit feminis, causam adhibuit explicandam <sup>3)</sup>.

Breuiter igitur enarratis, quae anatomes intelligentiam in Empedocle fuisse ostendunt, iam nunc ea colligamus, quae eundem nobis non oscitantem naturae humanae spectatorem exhibit. Haud enim dubito, fore, quibus haec acris ingenii contemplationisque diligentis, qua claruit, specimina egregie placeant, qui que Plutarcho, vel quisquis tandem auctor sit libri de *iis*, quae philosophis placuere, gratias habeant, quod magni illius philosophi sententias de visus, olfactus, auditusque modo, de respirationis officio, de nutritionis ciborumque appetitus ratione, de variorum elementorum, quibus corpus humanum constet, facultatibus, de somni mortisque causis, aliisque, a philosopho quae diligenter disquirantur, argumentis obliuioni ereptas nobis seruauit. Quae quidem omnia ita tractabimus, ut hominem a primo, quo conceptus est, temporis momento usque dum eius

2) Ibidem *libr. V. c. 14.*

3) *I. c.* A Plutarcho tamen abit Aristotle, (*de gener. anim. II. c. 10.*) atque Empedoclem tradit hanc sterili-

tatis, in mulis obseruatae, causam in mixtione seminis cum masculi, tum feminini spissa, ex utroque femine molli pendente, paulo obscurius posuisse.



ei⁹ corpus, morte ab anima solutum ac putredine resolutum in ea, e quibus factum efformatumque est, elementa destruitur, Empedocle praeceunte, consideremus. Neque enim is in eo acquiescebat, vt partes, quibus homo adultus constat, nosceret, sed et in viam ac rationem inquirebat, qua naturae sapientia ipsas illas partes sensim sensimque formet, formatasque eo perficiat, vt, quin eas miretur, animum habeat, ad pulchri perfectique sensus percipiendos hebetem atque obtusum.

Ac de semine quidem ea iam meditatus est Empedocles, quae et recentioribus temporibus patronos defensoresque inuenere suos. Etenim tam maribus, quam feminis semen tribuebat, et in utroque particulas quasdam futuri hominis repositas latere adsfirmabat. Has diuisas particulas in multuum niti connubium, eoque nisi efficere coēundi desiderium<sup>4)</sup>. Seminis utriusque moleculas maiore minoreue, quam ad formandum hominem necessaria esset, copia ad feminæ naturam delatis, aut non omnibus eadem celeritate, eodemque ordine proiectis, aut particulis illis, quae coniungendae essent, a se discedentibus, et in alienum inuidentibus locum: monstra lususque naturae oriri<sup>5)</sup>: unaquaque contra ea illarum molecularum bis terue aequaliter divisiva, aut in vniuersum genitali humore nimium adfluentे, gemellos aut tergeminos nasci foetus<sup>6)</sup>.

A pa-

4) Aristotel. *de gener. anim.* I. c. 18. et Galen, *de femin. libr.* II. c. 3. 10. III. p. m. 218. qui hanc Empedoclis sententiam multis refutat. Similem fuit opinionem auctor libri περὶ γονῶν, ad Hippocratem relati, et inter recentiores L. Ren. Moreau (*Venus physiqn.* c. 17. P. II. c. 5.) Anglus anonymus *Essay on Fecundation* p. 24 ff.) aliisque ab illustri Hallero (*elem. physiol. corp. hum.* to. VIII. p. 120. ff.) laudati. Cf. et Buffonius (*allgem. Histor. der Natur* B. I. Th. 2. c. 5.)

5) Plutarch. I. c. c. 8. Videtur igitur Empedocles Io. Bapt. Mazino (*inst. med. mechan.* Brix. 1735. 4.) aliisque praecipuisse iam explicationem formandi foetus a particulis cum masculi, tum feminini feminis secundum leges specifici ponderis sese ordinantibus deriuatam. Cf. ill. Halleri *diff. de form. monstr. mechan.* in *opp. min. to. II.*

6) Plutarch. I. I. c. 10. Hancce, qua is originem gemellorum tergeminorum que

A parentibus aliis cum obseruasset non nisi pueros, ab aliis vero non nisi puellas procreari: huius rei causam rimatus, illorum fernidam, harumque frigidam atque desidem indolem in causa esse iudicabat <sup>7)</sup>. Quae quidem ratio nisi verior, probabilior tamen ea est, qua similitudinem explicare studebat, inter parentes ac liberos haud raro intercedentem. Patrem enim aut matrem, quo plures aut ille, aut haec seminis moleculas in foetus formationem impenderit, eo magis referre sobolem existimabat <sup>8)</sup>: liberis vero ad neutrius parentis similitudinem accendentibus, calorem, semini proprium, fractum atque dilapsum accusabat <sup>9)</sup>. Nec tamen acquiescebat acre Empedoclis ingenium in hac una similitudinis causa, parentibus saepe cum liberis communis, inuenta; sed addebat et, quae recentioribus temporibus saepius in controversiam deducta est, phantasiam matris, quae quo viuidior esset, eo efficacior in foetus imaginem ad matris similitudinem effingendam ipsi videbatur <sup>10)</sup>.

Varias corporis animalis partes, quarum formationem demum elapsis XXXVI. diebus incipere, et post quadragesimum quarto absolui <sup>11)</sup> statuebat, varia principiorum, quae sumebat, mixtione componi: carnes ex aequis aëris, aquae, ignis, terraeque partibus coire: neruos praeter pares aëris et aquae portiones duplam ignis terraeque continere, atque libero expositos aëri, igneis exhalantibus particulis, in massam abire duram, et hominum vngues, animaliumque aliorum vngulas formare: ossa in primis ex aqua, terraque compingi: sudorem denique lacrymasque mixtas inuicem quatuor ignis terraeque partibus cum vna aquae aërisque constare <sup>12)</sup>. Quae quidem elementorum particulae si in

## E 2

vlla

que foetuum explicare studuit, opinionem denuo in scenam produxit, ingenioseque exornauit Buffon. *l. c. p.*  
349. *et 556.*

7) Cf. Plutarch. *l. l. c. 7.*

8) Ibidem *c. 11.*

9) Ibidem.

10) Ibidem *c. 12.*

11) Plutarch. *l. c. V. c. 24.*

12) Idem *V. c. 22.*



ylla corporis parte imminutae rationem turbarent, quae inter ipsas naturae legibus constituta obtineret: tunc quodam quasi instinctu omnia duci, quin et cogi animalia, ut perditas illas quocunque modo moleculas nouis repararent; hinc *ciborum appetitum esse deriuandum*<sup>13)</sup>. Inde enim secesserunt particulas, animalis corporis oeconomiae accommodatas, quae si subsiderent, corporique adponerentur, *nutririri*, et calore accedente, *crescere* illud: contraque ea imminui destruque omnino, et secretione particularum nutrientium imminuta aut plane sublata, et calore fracto omnino extincto<sup>14)</sup>. Vtrumque vero per singulas hominum aetas magis magisque imminui haud dubie videbatur Empedocli, cum homines sui seculi comparatos cum illis; qui primi a natura facti formatique sint, tam exigua statura, tantaque virium debilitate esse adsereret, ut non nisi infantes referrent<sup>15)</sup>. In eodem calore paululum restincto *somni*, in extincto *mortis* causam inuenit<sup>16)</sup>.

Iam vero Empedoclis de via ac ratione, qua *visus* perficiatur, sententiam exposituro, liceat aliorum quorundam physicorum eadem de re opiniones antea transire, et tantummodo perstringere, quae vti plures erant, ita et in diversas inuicem partes discedebant. Erant enim, qui, oculos nostros speculis similes esse rati, in quibus imagines rerum externarum expressae conspicerentur: rationem tamen non adderent, qua fieret, ut eiusmodi imagunculae in speculi superficie formarentur, formataeque rem obiectam ad vivum exprimerent. Alii melius sibi explicare videbantur *visus* theoriam sumtis radiis, qui ex oculo in rem obiectam quasi effunderentur, ibique per omnem superficiem ita distribuerentur, vt, si seruato illo ordine ad oculum reflecterentur, formam efficerent plane similem rei conspectae: alii

aliter

13) Ibidem c. 28.

15) Plutarch. l. c.

14) Ibidem c. 27.

16) Ibidem c. 23. et 25. et Galen. de placit. Hippocr. ac Platon. libr. II.

aliter. Empedocles quidem cernere nos arbitrabatur imagine rei externae visu percipiendae ad oculos nostros translata: ipsam vero imaginem a radiis formari ex omni re visu percipienda oculos ingressis, ibique a vi quadam ignea, aërem, in quem ista effluvia ferrentur, simul transferentem, collectis atque dispositis <sup>17)</sup>). Quae, etiamsi theoriam visus cum iis coniunxerim, quibus rationem explicare studuit, qua rerum obiectarum imagines in speculis ad naturam expressae conspicerentur: tamen siue obscurum illud, quo Empedocles vtebatur, scribendi genus, siue summam, qua Plutarchus illa Empedoclis placita retulit, breuitatem, siue denique foeda, quae adductis Plutarchi verbis vel ab imperita libratorum manu, vel temporis omnia consumentis iniuria inflcta sunt, vulnera accusem, adeo non ea, quam optauerim, perspicuitate Empedoclis opinionem exponunt, ut viri eruditiores acutioresque in auxilium vocandi sint, velint ingenii acumine nobis philosophi mentem recludere, medicinamque Plutarchi vulneribus feliciori manu adferre.

*Olfactum* cum Alcmaeone pendere a fragrantibus corporum odororum particulis existimabat, quae in aëre sparsae tunc, cum inspiramus, adducerentur. Inde apparere quoque causam, cur, respiratione ob fauces exasperatas difficili reddita, ut in destillationibus accidit, nares quoque ab odorum sensu simul percipiendo excluderentur <sup>18)</sup>.

His, quae Empedoclis studium, naturam animalium, in primisque hominis, vti philosophum et physiologum decebat, perscrutandi, satis luculentis probare videntur specimenibus, addam denique ea, quae ille et primae respirationis causam, et omne omnino respirationis negotium expli-

E 3

catu-

<sup>17)</sup> Plutarch. *I. c. IV. c. 13. 14.* In priore capite pro vulg. *κατὰ τινῶν αὐτίων εἰσηγεῖσιν* legerim *κ. τ. α. ἐκ-* *ηρεῖσιν.* Qui enim in oculum reuerti debebant radii, ii ex oculo vt antea

effluxerint, necesse videtur.

<sup>18)</sup> Plutarch. *I. I. c. 17. coll. cum Celso de med. IV. 2. 4. p. m. 173.* si in fauces (humor destillauit,) *bas exasperat* etc.



catus protulit. Scilicet putabat foetum, utero adhuc inclusum, vita spirituque carere, ac tunc primum aërem haurire, cum humores, illum in utero cingentes, qui os et utramque cum ciborum, tum aëris in illud patentem viam replere ipsi videbantur, defluxerint. Sic enim fieri vacuum locum, in quem aër externus irrueret, apertaque vasa repleret. Hoc quidem modo peragi primam inspirationem. Dūn vero calor innatus suo ad exteriora impetu repelleret aërem haustum: hominem exspirare. Iam recipere se, et quasi fugere ad interiora corporis calorem innatum, sicutque quodammodo inuitare contra nitentem aërem, ut iterum, e quo depulsus aufugerat, locum occuparet, pulmonibusque expansis inspirationem perficeret. Quo facto calorem innatum denuo e latebris prorumpere suis, aëremque adueniam propulsare. Atque ab hac alterna caloris innati fuga, renouatoque aduersus aërem irrumpētēt impetu deriuandam esse alternam inspirationis exspirationisque successiōnem. Ita quidem Plutarchus<sup>19)</sup> explicat Empedoclis de respirationis negotio mentem. Iam liceat eadem de re proferre, quae Aristoteles<sup>20)</sup> adductis ipsis illius verbis Empedocli placuisse narrat. Is autem reprehenso prius Empedocle propterea, quod, cum de respiratione egerit, neque addiderit, quid potissimum utilitatis illa corpori adferret animali, neque finierit, omnia animalia respirarent, an essent, quibus illud natura negauerit, totum respirationis negotium ex illius philosophi sententia ita adumbrat. Esse scilicet venas quasdam, sanguinem quidem, sed ita continentes, ut non totae repletae sint: iis patere in aërem externum vias, angustiores illas, quam ut particulae sanguinis<sup>21)</sup> transire possint, ampliores tamen, quam ut aëris particulis in corpus aditus fit

<sup>19)</sup> l. l. c. 22. coll. cum V. c. 15.

<sup>20)</sup> de respirat. c. 7. p. m. 722. ff.

<sup>21)</sup> Reète emendauisse videntur vi-  
ri docti τῶν μὲν τε ΑΙΜΑΤΟΣ.

μορίων pro vulg. ΣΩΜΑΤΟΣ. Re-  
spicit enim Aristoteles Empedoclis ver-  
ba illa: ὥσε ΦΟΝΟΝ μὲν κεύθειν.

sit praecellens: sanguine, qui sursum deorsum moueretur, descendente, aërem illabi, sicque inspirationem fieri, ascendentē vero, eiici eundem, sicque exspirationem absolui. Quae quidem et Plutarchi et Aristotelis verba, quibus Empedoclis sententiam exprimere studuerunt, si quis cum illo fragmento Empedocleo contendere velit, ab Aristotele nobis seruato: is vel hoc exemplo cognoscet, quam lubricum sit de veterum placitis decernere, ex aliorum scriptorum, nec suis ipsorum libris hauriendis.

Iam vero, quae perscrutando humanam naturam cognoverat Empedocles, ea ad causas cum prosperae, tum aduersae valetudinis indagandas, indagatasque tollendas transtulit. In eo enim Alcmaeonis, contemplatione magis, quam actu artem salutarem iuuantis, reliquit exemplum, teste Satyro<sup>22)</sup>, Suida<sup>23)</sup> aliisque. Neque tamen solis hisce testimoniis, aut forte magnificis illis promissis acquiescere debebimus, quibus Empedocles remedia omnibus pandere ad morborum impetus frangendos, senectutis molestias leuandas, mortuosque in vitam reuocandos efficacia pollicebatur<sup>24)</sup>. Exempla potius adferam, quibus medicinam factam ab Empedocle fuisse constabit. Quo quidem pertinet celebrata illa antiquitus femina ἀπνυγ, quam mortuae speciem per triginta dies prae se ferentem, funeri eripuit Empedocles, atque in vitam reduxit. Dolendum sane, viam ac rationem a nullo, qui huius feminae, grauissimo animi deliquio sopitae, meminerit, additam fuisse, qua Empedocles usus eam resuscitaverit. Quae enim et Empedocles ipse discipulo suo, Pausaniae, ad istam feminam spectantia, dictauerat, et quae ex hoc fortasse libello in suum, *de morbis*, opus transcripserat Heraclides, ea nobis temporis iniuria interciderunt<sup>25)</sup>. —

Neque

<sup>22)</sup> *Libr. VIII. 58. ff. p. m. 530.*

<sup>25)</sup> Ibidem sc̄t. 60. vnde sua ha-

<sup>23)</sup> *voc. Παρμενίδης.*

fit Suidas *v. ἀπνυγ.*

<sup>24)</sup> *Diog. Laert. I. c. 59.*

Neque vero minus illustri specimine comprobabat Empedocles, non vanam atque inutilem esse, quam sibi comparauerat salutaris professionis cognitionem, tunc, cum causam pestis, cuius furore magna hominum inter Selinuntios facta erat strages, anquirebat, inuentamque felicissime tollebat. Nimirum prope Selinuntem flumen decurrebat, quod foetore pestifero omnem inficiebat viciniam, saporeque amaro maximeque ingrato in primis feminis noxium, partus reddebat difficiliores. Empedocles igitur bene perspiciens, foetorem illum aut ab aquarum paucitate, aut a fluminis tarditate pendere, utriusque causae medebatur ita, ut duorum aliorum fluuiorum cursum suis impensis illuc duderet, sicque aucta aquae copia et celeritate cum pestem, ab aëris impuritate ortam, supprimeret, tum emendata saporis amaritie partus efficeret faciliores<sup>26)</sup>). Neque vero hac via, pestilentiae auxiliandi, semper et ubique, qui empiricorum mos est, vtebatur, sed mutatae causae remedia quoque opponebat alia. Plinius<sup>27)</sup> enim Empedoclem et Hippocratem narrat, ignibus quoque vim medicam esse gnaros, ignis suffitu pestilentiam coercuisse, solis obscuratione contractam.

Haec igitur omnia, quae Empedocli non vulgarem, pro temporum ratione, salutaris professionis notitiam fuisse satis luculenter probare videntur, fortasse hausta sunt ab iis, quos laudauimus, scriptoribus e libro, quem *de medicina* versibus sexcentis conscripsisse Empedoclem testatur Diogenes Laertius<sup>28)</sup>). Cuius quidem carminis nihil, nisi fragmenta quedam ad nostra tempora peruenisse acerbissime dolebit, quotus quisque magni istius viri ingenio pretium statuere nouit suum. Haud enim scio, an iure in Empedoclem transferri possit, quod Tib. Hemsterhusius, idoneus harum rerum arbitrus,

26) Diog. Laërt. I. c. sect. 70. p. 535. 28) Libr. VIII. 77. p. 539. Suid. v.

27) Cf. *bistor. natur. libr. XXXVI.* Εμπεδοκλῆς.

c. 27. p. 759.

biter, de Polybio tulit iudicium, cuius tanta admiratione captus erat, vt, si fieri posset, vnum eius librum deperditum plaustris homiliarum S S. Patrum redimere vellet <sup>29)</sup>.

Sed haec haetenus. Reliqua, quae de Epicharmi, Democriti aliorumque philosophorum in artem medicam meritis scribi poterant, alio promam tempore, nisi sinistra de hoc specimine a viris eruditis, iisque idoneis iudicibus lata iudicia irritum fecerint consilium meum. Quam quidem iudiciorum seueritatem vti nolo virium imbecillarum commemoratione, aut argumenti difficultate accusata, aut humanitatis iudicum, qua tironem ferre soleant, laudibus lenire, (quae omnia quamuis vere quidem commemorari possent, tamen, cum nimis sint vulgaria, consuetudinis legi potius, quam veritatis sensui data esse viderentur:) ita omnibus gratum profiteor animum, qui me, vbi errantem inuenient, in viam rectam beneuole reducent.

29) Vid. *elegium Tib. Hemsterhusii auctore Dav. Rubnkenio. p. 29.*

# COROLLARIA.

## I.

*Recentia, orthographiam linguae germanicae emendandi, conamina et manca sunt, et inutilia.*

## II.

*Amor popularium nostrorum erga literas elegantiores exterarum nationum, maxime erga Anglorum, et Francogallorum fabulas scenicas corrumpit, et vero euertit indolem nationis nostrae ac genium.*

## III.

*Seculi nostri mollities maximam partem tribuenda est regimini, potuique nimis calido.*

## IV.

*Scriptorum graecorum et latinorum conuersio in linguam germanicam idonea confici nequit, ea que praeterea variis modis noxia.*

## V.

*Antiquatio medicamentorum specificorum et univ-  
ersalium, et circulatorum custodia, seu exi-  
lium, veram posteris nostris largientur sa-  
lutem.*

## VI.

*Tunc demum recte prospicietur sanitati publicae,  
quando ubique et perspicue intelligetur, ma-  
ximam hominum copiam etiam summam effice-  
re reipublicae salutem.*

## VII.

*Qui gymnastica corporis exercitia v. c. natatio-  
nes, lotionesque in fluminibus instituendas,  
etc. damnat, is aut ignorat machinae nostrae  
indolem, aut male cupit generi humano.*

---

III

seinem und seiner Freunde  
zurück in Wittenberg.  
Von seinem Vater war er  
gewisslich sehr verschieden.